



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corona Avrea S^vpere Mithram Romani Pontificis

Raynaud, Théophile

Romae, 1647

Punctum XIII. Salus ex inimicis, ab Ethnicorum & aliorum quorundam Ecclesiæ hostium testimonio de S. Pauli ad S. Petrum subiectione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10481

quàm Iudas scelus suum Apostolis collegis : vel quàm Lucifer Michaeli & Sæctis Angelis, cum quibus in ynum cœtum aliquando coaluit.

P V N C T V M X I I I.

Salus ex inimicis ; ab Ethnicorum & aliorum quorundam Ecclesie hostium testimonio de S. Pauli ad S. Petrum subiectione.

NO N leue Catholicæ doctrinæ munimen existimare soleo , quod ex hostium eius testificatione desumitur . Sic demonstrare memini tractans iustum confixionem librorum , etiam Luciani ac Celsi Epicuræi , & aliorum quorundam Ethnicorum scriptiones , quibus nostros ritus , aut sensa deriserunt , non parum commodasse Ecclesiæ in firmandis veris dogmatibus . V.g. apud Lucianum ridetur mysterium Trinitatis , & cultus sanctorum imaginum . Ethnicus apud Minutum , insimulat idolatriæ impensæ Sacerdoti , procubitum fidelium ad eius genua , inter confitendum . Ibidem , & apud Tertullianum , atque Athenagoram , obijcitur Christianis pabulum ex carnibus infantis farre coniectis quæ est perspicua veritatis Catholicæ confirmatio . Neque enim hisannones irridebant , nisi quod apud Christianos receptum pouverant . Sic gloriose Satan suismet armis prosternitur . Nam ut est apud Eucherium ^{a homil. 2. de pasch.} . [Validis abs que dubio nititur priuilegijs , qui causam de Aduersarij asserit instrumentis . Speciosa victoria est , contrariam partem chartulis suis , velut proprijs laqueis irretire , &

B b 2 testi-

testimoniorum suorum vocibus confutare; & æmulum telis suis euincere, ut pugnatoris sui argumenta, suis probentur utilitatibus militare. ¶

^{a epist. ad An-}
2 Non dissimiliter ergo in re nostra, suppeditatur va-
lidum argumentum receptissimi sensus prisorum fide-
lium, de S. Petro solo Primate, & ipsius etiam S. Pauli su-
periore, ex eo quod Porphyrius, referente D. Hierony-
mo ^a reprehendat D. Paulum, quod in causa legalium,
procaciter & arroganter egerit, reprehendens S. Petru-
superiorem suum, ut habetur ad Galat. 2. Benè est, quod
intercidit opus Iuliani Apostatae contra Religionē Chri-
stianam; nec S. Cyrillus, qui ex eo plerasque plagulas suæ
confutationi intexuit, in hac parte Iuliani verba exscri-
psit, sed tantum dixit, hypocrisim B. Petri à Paulo fuisse
fugillatam. Nec dubium, quin Paulum quoque, eadem
ex causa, ex qua Porphyrius, allattrauerit Iulianus: nem-
pè ob Paulo afflictam procacitatem in sui superioris re-
prehensione. Ego in præsentia, quomodo Paulus Pe-
trum arguerit, non moror; nec an verè Petrus in eo fa-
cto peccauerit. Tantum dico, Porphyrium, ex tunc vi-
gente communi sensu Christianorum, agnouisse, S. Pe-
trum fuisse S. Pauli superiorem, & idcirco Paulum no-
tasse arrogantiae, & procacitatis, quod superiori suo au-
sus fuisset resistere in faciem, quo nihil potuit commo-
dius proferri ad stabiendi per externa testimonia, ve-
ritatem Catholicam pro qua satagimus.

3 Et quia Theodoretus in Dialogis, post comproba-
tam ex Patribus veritatem Catholicam, hæreticos sub-
texit, quos eidem quoque suffragatos esse contingebat;
Ethnicis adiungam etiam hæreticos: qui tametsi ut plu-
rimum, toti sunt in deprimendo S. Petro, & æquiparan-
dis ei omnibus Apostolis; ramen veritate conuicti, ali-
quando agnoscunt S. Petrum esse superiorem, & alijs
Apostolis; & nominatim S. Paulo. Atque ita verum-
com-

comprobatur illud Basilij^a. Ipsi sèpè, qui operantur mendacium, rerum perspicuitate coacti, etiam nolentes veritati attestantur. Nam & Dæmones non faciebant opus Euangelistarum. Sed cum lucem veritatis non possent non respicere, clamabant, *Scimus quia tu es Sanctus Dei.*] Igitur ut supra indicaui, Caluinus quoque agnoscit S.Paulum subiacuisse S.Petro, atque adeò non fuisse ei parem potestate. Habet hìc profectò locum, quod Faustum eiusque partiarios, cum prorsus alienis à fide componens Claudianus Mamertus^b aiebat. [Acriùs^{b lib.3. de Rati-}
isti (alieni) abstrusas rerum rationes ingressi sunt, quām^{tu animorum cap.9.}
non nulli nostrates, qui cubicularijs disputationibus, de sublimium indage causarum, aliquid soporiferum in lethulis oscitantes, perpellente copia tepentium næniarum, stolido laudatore veternas anilium opinionum suspiciones edormiunt.] Acriùs, inquam, peruersere Scripturas, & traditionem de Monarchia Ecclesiasticæ

Hierarchiæ hi exteri, quām hi in speciem sal-

tem Catholici, maioris partis, & vete-

rum, & nouorum hæreticorum in

hoc negotio Sectatores; qua-

tenus alium Apostolum

quoad potestatem

in Ecclesiæ re-

gimine,

æquiparant cum B.Pe-

tro, de summo

gradu extur-

bato.

¶

PVN: